

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus

### Caput 14: De conditione humana et brevitate huius vite (10)

Idem (Ieronimus):

Nec memor es quam sit vilis origo tui.

Nichil aliud est homo quam sperma fetidum,  
saccus stercorum et cibus vermium.

Unde superbis, o homo, cuius conceptio culpa,  
nasci pena, labor vita, mors angustia, et tamen necesse est mori?

Post hominem vermis, post vermem fetor et horror.  
Sic in non hominem vertitur omnis homo.  
Cur ergo superbis, homo, et non attendis quod fuisti vile semen,  
et sanguis coagulatus in utero,  
deinde miseriis huius mundi expositus et peccato,  
deinde vermis et cibus vermium futurus in tumulo?

Cur carnem tuam pretiosis rebus impinguas et adornas,  
quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulcro,  
et animam tuam non adornas bonis operibus,  
quam deo et angelis eius presentandam esse in iudicio constat,  
quare animam tuam vilipendis et ei carnem preponis?  
Dominam ancillari et ancillam dominari magna abusio est.

*Sic indutus et ornatus progressus es ad nos /  
Nec memor es quam sit vilis origo tui. /  
Forma, favor populi, fervor juvenilis, opesque /  
Subripuere tibi noscere quid sit homo.  
Nihil aliud est homo quam sperma fetidum,  
saccus stercorum, cibus vermium.*

←

*Post hominem vermis, post vermem fetor et horror./  
Sic in non hominem vertitur omnis homo.  
Cur ergo superbis, homo, attendens quod fuisti vile semen,  
et sanguis coagulatus in utero;  
deinde miseriis hujus vitae expositus et peccato,  
postea vermis et cibus vermium futurus in tumulo?  
Quid superbis, pulvis et cinis, cujus conceptus culpa,  
nasci miseria, vivere poena, mori angustia?  
Unde superbit homo, cujus conceptio culpa, /  
Nasci poena, labor vita, necesse mori?  
Cur carnem tuam pretiosis rebus impinguas et adornas,  
quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulcro;  
animam vero tuam non adornas bonis operibus,  
quae Deo et Angelis ejus praesentanda est in coelis?  
Quare animam tuam vilipendis, et ei carnem praeponis?  
Dominam ancillari, et ancillam dominari, magna abusio est.*

→

Auctor incertus (Bernardus Claraeuallensis?), *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis*, 3.8 (PL 184, col.490A-C).

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus

Caput 14: De conditione humana et brevitare huius vite (10)